neque minus Sacerdoti obloquendo, secreta moralia & juventutis delicta hactenus abscondita detegendo, ignorantiam illudendo, concionibus item metanoëticis &c. multum negotii facessserunt, auresquè duriusculas vellicarunt. Quo facto curiosiores Ecclesiæ Ministri, nec non Medici non pauci Clarissimi, tam oretenus in familiari conversatione, quàm per commercium literarum, de arduis his morbis horrendisque motibus, ægrotarum scientia rara & futurorum prædictionibus, &c. mecum communicarunt. His ergò ut gratificarer, meditationes quasdam de puellæ Zittaviensis morbo præ aliis elegi, & in chartas conjeci (postquam ex ipsius Morbi Historia ad Virum summè Reverendum, Dn. D. Valentin-Ernestum Löscherum, à Dno M. Grünewaldio, Verbi Divini Ministro & Catecheta Zittaviensi, transmissa, mihiquè communicata, singularem hujus modestiam & circumspectam prudentiam Theologicam in Visitationibus ægrotantis puellæ, hujusq; erga eum, perspexeram) illas Ephemeridibus Academiæ Leopoldino-Imperialis Naturæ Curiosorum Anno ultimo Decuriæ III. sub Titulo *Epilepsiæ secundi gradus à fascino cum Catalepsi admiranda;* postea correctiores, & auctiores paulo, Dn. Collectori Novorum Literariorum Hamburgensium *sub Pathologiæ Dæmoniacæ Titulo*, inserendas transmisi. Pathologia vero hæc in decem, ni fallor, Menses Anni 1706. partita, cùm priores duo Historiam Morbi tantum recensèrent, Curiosis Præludium saltem seu Recensio summaria prolixioris Tractatus jam editi, aut brevi edendi, visa, anxiè in Bibliopoliis Lipsiensibus desiderata est. Hinc Bibliopolarum non minùs quàm Philiatrorum precibus & adhortationibus instigatus, eandem subcisivis horis revisi, erronea quædam correxi, dubia & obscuriora à Curiosis mihi oppositа ex principiis Physico-Magico-Medicis, non minùs Scriptura Sacra, quam Celeberrimorum virorum Historiis ac Observationibus, ut & Actis quibusdam Inquisitionalibus de Veneficis & Sagis, confirmavi, diaboli hac in parte, atque in homines, be-